SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
SERENISSIMIQVE DVCIS SAXO-GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS CONSILIARII AVLICI
H. T.
FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROGRAMMA
DE
VERIS SALVBRITATE IN SPECIE

PVBLICAE INVITATIONI
AD
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE
NOXIIS QVIBVSDAM
CIRCA
MEDICAMENTA OFFICINALIA
D. XXXI. MAII HABENDAM
PRAEMISSVM.

IENAE D. XXVI. MAII M DCC XXXVIII.

LITTERIS CROEKERIANIS.



Q. D. B. V.

Prolusione, hanc proxime antecedente, temporis vernalis salubritatem & insalubritatem in genere nervose consideravimus: nunc autem de ipsius salubritate in specie pauca quædam commentandi nobis est animus.

Enimvero certo respectu non solum ab omnibus fere artis salutaris primiceriis, sed & ipsis poëtis ac philosophis vernum tempus saluberrimum pronunciatur. Ex illis primo loco in medium producere par est DIVINVM SENEM, qui *Sect. 3. aphor. 9.* autumni & veris inter se comparatione facta, inquit: Autumno morbi accidunt acutissimi fere. Ver contra saluberrimum est, minimeque funestum. Huic a latere ponimus nostrum olim Hippocratem Ienensem, B. WEDELIVM, qui in aphorismis aphorismorum prædictum aphorismum ita eleganter interpretatur: §. 4. Veris initia autumno apud nos æquiparantur, florentis temperies salubrior. §. 5. Ubi verno tempore constans tempestas & despumatio sanguinis perfecta fuerit, corpus salubrius degit; & §. 6. Morbi autumno provenientes respectu veris graviores & fixiores, vere facilius resurgente natura subiguntur.

Non

Non minus celeberrimus Consiliarius intimus Prussicus, FRIDERICVS HOFMANNVS, *Med. System. Tom. I. sect. 3. cap. 3. §. 6.* concinne veris salubritatem adstruit scribens: Tempus vernale, quo temperatior solis æstus aërem calefacit, salubritate omnibus reliquis anni partibus antecellit. E poëtarum autem numero unicum tantum laudabimus VIRGILIVM, istum poëtarum Latinorum principem, qui mirificum, quem vernum tempus corporibus sublunaribus inspirat, vigorem, ceu insignis Physicus, Georgicorum Lib. II. perquam venuste cecinit:

Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis:
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et venerem certis repetunt armenta diebus.

Poëta noster patrem omnipotentem verno tempore in lætæ conjugis gremium descendere scribens nihil aliud innuit, quam quod hoc tempore fluidum aëreo-æthereum, per quod Jovem seu patrem omnipotentem intelligit, majorem subtilitatis & elasticitatis gradum a radiis solaribus concentratis & perpendiculariter magis incidentibus consecutum, ac subinde fœcundis imbribus temperatum, non solum telluris seu Vestæ gremium penitius subeat, eiusdem succos commoveat, & in plantarum tubulos urgeat, sed & cum cunctorum animantium humoribus vitalibus intimius mixtum iisdem vegetiorem motum, fibris autem partium solidarum majorem simul conciliet elaterem, quibus his almæ naturæ præsidiis evenit, ut quævis vegetabilia læte germinent ac crescant,

pleraque vero animalia, hiberno torpore excuſſo, in apricum prorepant ac prodeant alacriora, veneriſque ſtimulis agitata coëant, vel e quorundam ſaltim ſeminiis & ovis foetus excludantur, & ita eorum ſpecies multiplicentur. Atque hoc ipſum non ſolum in inſectorum, piſcium, avium, multorumque quadrupedum ſpeciebus, ſed & ipſa humana ſpecie certo modo contingere quotannis obſervamus. Quis igitur tempus vernale lætum ac ſalubre pronunciare nolit?

Poſt hæc admodum præclare veris ſalubritas ſingularis ex eo elucet, quod permulti morbi, iique fere chronici, longe feliciorem admittant hoc tempore curam, quam autumnali vel hiemali praeſertim. Confirmant hoc perſpicue morbi, humorum craſſitiei ac viſciditati, & inde ſæpe productis in variis partibus ac viſceribus obſtructionibus ſuam debentes originem, exemplo menſium obſtructionis, mali hypochondriaci, cachexiæ, paralyſeos, luis venereæ nec non febrium intermittentium, aliorumque. Etenim quando fluidum aëreo - æthereum, quod, per dicta atque nota, vernali tempore ſenſim ſenſimque ſubtilioris, mobilioris ac expanſivæ magis indolis fit, cum humoribus noſtris vitalibus, variis modis miſcetur, motu concitatiori, quem eorum particulis imprimit, hæ magis, quam par eſt, cohærentes divelluntur, adeoque earum viſciditas magna ex parte infringitur, ut ideo, ſimul adhibitis pharmacis, humores viſcidos corrigentibus ac educentibus, nempe aperientibus, incidentibus, abſtergentibus, diaphoreticis, diureticis, purgantibus & p. r. n. ſalivatoriis ipſis, allegati morbi longe facilius curentur, quam vel autumno, vel hieme; ceu quibus anni

tempo-

temporibus in dies humores fixiores fiunt, adeoque ad secretionem & excretionem particularum impuriorum e sinu suo non tam bene dispositi. Atque hinc est, quod his anni partibus ad sanitatem amissam recuperandam adeo necessarium transpirationis insensibilis negotium non adeo bene succedat, unde febrium intermittentium diuturnitas potissimum derivanda est.

Eminet porro veris salubritas ex hoc quoque phænomeno, quod naturæ vigor in sat multis subiectis, hac potissimum anni portione, humorum tum quantitate tum qualitate peccantium evacuationes quasi criticas non raro instituat, iisdemque corpus a variis gravioribus morbis salvum præstet, id ipsum diarrhoeis benignis, sanguinis profluviis e naribus nec non scabie benigna praesertim evincentibus.

Præter istam clementem ac temperatam aëris indolem, felicibus morborum curis insigniter faventem, floridum ver quibusdam etiam morbis multum affert præsidii ac solaminis, dum alma tellus succo vegetante turgidas protrudit plantas, quæ recenter adhibitæ variis in morbis longe salubriorem opem præstant, quam si prius siccatæ non adeo parum virtutis in auras dispersere. Non minus vaccæ, capræ atque asinæ herbido vere recens germinantibus ac salutiferis herbis pastæ lac atque butyrum longe salubrius largiuntur quam quacunque alia anni parte.

Tandem & saluberrimum vernale tempus pronunciandum est, cum eodem ob benignam aëris temperiem commodissime in locis amoenis fiat corporis motio, & itinera sanitatis gratia in loca salubria suscipiantur, nec non thermarum ac acidularum usus cum fructu instituatur. Etenim hac ratione non

)(3 solum

ſolum motus corporis & aquæ medicatæ vim medicamentoſam exerunt, ſed ſimul aër temperatus, ſulphure balſamico gemmarum ac florum arborum atque herbarum fœtus, mirifice corpus recreat.

Ex his igitur huc usque recitatis inſignem veris ſalubritatem ſatis perſpicuam eſſe putamus. Hæcce præfandi nobis occaſionem dedit Diſputatio inauguralis clariſſimi & digniſſimi Medicinæ Doctorandi,

SIGISMVNDI IACOBI HOCHSTETTERI,

de cujus laudabili vitæ & ſtudiorum ratione nunc eſt exponendum: Natus eſt anno hujus ſeculi VIII. die XX. Julii, patre viro plurimum reuerendo M. FRIDERICO IACOBO HOCHSTETTERO, Burgſtalli in Ducatu Wurtembergico V. D. miniſtro vigilantiſſimo, matre VRSVLA MARGARETHA, e celebri gente Hegeliana prognata, matrona optima. Aſt non licuit *Noſtro* diu dulci parentum amore atque cura frui, nam anno ætatis tertio beato parentis, & triennio poſt, matris præmaturo obitu orphanus factus; quare opus erat, ut alii parentum vices & educationem ſuſciperent. Primum igitur amantiſſime hoc præſtabat ipſius patruus honoratiſſimus, Dn. HOCHSTETTERVS, tributi Stuttgardienſis collector, & Xenodochii, quod ibi gratioſe ſuſtentatur, curator meritiſſimus. Poſt hujus obitum curas has in ſe recipiebat Vir maxime reverendus, illuſtris Gymnaſii Stuttgardiani Profeſſor Publ. poſtea vero Rector, & demum Abbas Murrhadinus HOCHSTETTERVS; atque hunc demum in præclaro *Noſtro* benefaciendi munere excipiebat Vir maxime reverendus, in diœceſi Duttlingenſi ſacrorum ſupremus Antiſtes meritiſſimus HOCHSTETTERVS. Huic optimæ agnatorum trigæ, inter cœlites jam ſplendenti, maximas adhuc habet grates, quia præter veræ religionis fundamenta etiam latinam linguam ut probe addiſceret, ſtrenuam gerebant curam, ſic ut varios, præſer-

tim

tim Ill. Gymnasii Stuttgardiani præceptores, ob singularem instructionis fervorem atque industriam, sive inter vivos sint, sive inter mortuos, adhuc pie veneretur. Postquam annum XIVtum consecutus erat, præpositi curabant, ut Dn. WEYHENMAIERO civitatis Winnendæ consuli meritissimo, & artis pharmaceuticæ peritissimo ad eandem addiscendam traderetur. Præterlapso lustro ad exteras provincias abire & officinas pharmaceuticas, majores in arte sua profectus consecuturus visitare se cum constituebat; hinc diversis in locis celebrioribus, Nordlingæ nempe, Herbipolis, Heidelbergæ, atque in civitate nova Gallica, quæ Cassellis Hassiacis floret, officinas instructissimas per aliquot annos perlustrauit; tandem & Hammonæ nec non Susati Guestphalorum per integrum triennium in celebribus officinis sic dicti Provisoris munere functus est. Vita sic ad plures annos apud exteros acta ei licuit multas inclytas Germaniæ, imo & nonnullas ipsius Belgii urbes adire, & tum ad magistratus rationem, tum incolarum mores, aliaque notabiliora attendere. Post tam multiplices quasi prolusiones studio medico sese applicare sibi proposuit: ideo ad celeberrimam nostram Salanam anno 1735. se conuertebat, atque a me t. t. fasces Academicos gerente in numerum studiosorum receptus fuit. Postea diligentissime in studia Academica incubuit & sub ductu Clarissimorum magistrorum Dn. CARPOVII & Dn. DARIES Logicam, Excellentissimi philosophiæ Professoris Dn. D. STOCKII Arithmeticam, tam literariam quam numerosam; illustris vero Consiliarii Aulici & Physic. ac Medicin. Prof. Dn. D. HAMBERGERI Physicam pertractauit; Cujus etiam prælectiones medicas, Physiologicas, Pathologicas, Semioticas & Chirurgicas sedulo auscultauit, atque ipsius demonstrationes anatomicas priuatas & aliquot sectiones judiciales cum fructu attentus vidit.

Illustrem & Magnificum Consiliarium Aulicum ac Med. Professorem Dn. D. TEICHMEYERVM, hospitem suum pie venerandum, audivit solide exponentem Physicam, Materiam

teriam Medicam, & Chirurgiam; publice vero Botanicam, Osteologiam, Myologiam, & Angiologiam: ipsius etiam spectator fuit, quando in theatro anatomico bina cadavera pereleganter dissecuit & aliquando sectionem judicialem dextre administravit. Non minus e doctissimis recitationibus, quas Illustris & Magnificus Consiliarius Aulicus & Med. Professor Dn. D. WEDELIVS, Facult. nostræ Senior venerabilis, habuit, privatim ad institutiones & universam praxin, ac publice ad doctrinas de febribus, inflammationibus, doloribus, obstructionibus & fluxionibus, insignes Candidati nostri profectibus factæ fuere accessiones. Me laudabili industria sectatus est, quando Physiologiam, Pathologiam & Diætam vel publice vel privatim docui: sicut idem quoque fecit, quando Experientissimus Dn. D. TANNENBERGERVS Semioticam prælegit.

Cum itaque indefesso studio ac moribus honestissimis non solum sibi laude dignissimos in arte medica comparauerit profectus, sed & omnium suorum præceptorum fauorem: ideo ad petitionem decenter factam eum eo lubentius inter medicinæ Candidatos recepimus. Receptus, in examinibus eos nobis profectus sufficienter probauit, quos de ipso sperauimus & jam laudavimus, atque propterea etiam facile obtinuit a nobis licentiam *dissertationem inauguralem* proprio marte elaboratam, *de* NOXIIS QVIBVSDAM CIRCA MEDICAMENTA OFFICINALIA, die XXXI. Maji sub præsidio TEICHMEYERIANO habendi.

Huic actui solenni ut Magnificus Prorector, illustrissimi S. R. I. Comites, Proceres Aulæ & Academiæ venerandi, Hospites & almæ artis fautores omnium ordinum honoratissimi gratiosam & benevolam præsentiam commodare dignentur, perofficiose & amice oro rogoque. P. P. sub sigillo Facultatis M DCC XXXVIII. D. XXVII. Maji.

(L. S.)